

Nam licet ingenti rerum molimine anbeles,  
Ordine & emineas parsque caputque Tuo.  
Expositos servas non fracto pondere mores,  
Sic gravis, ut frontem nulla senecta tegat.  
Tu sterile esse decus venerandi credis honoris,  
Ni possis multos demeruisse Tibi.  
Testor diversa penitus regione remotos  
Officii testes, Praesul amande, Tui.  
Pallade sub docta stipendia dura merentes  
Excipis in primis fronte decente viros.  
Non qui cœnosas, ranarum regna, paludes  
Immundive colunt murmur olentis harae:  
Aut ducunt grallis per senticera Sophorum  
Vix stabiles juvenum, corde tremente, pedes.  
Vel scabra quos doctis neglectaque laurea vexat,  
Pistorum ut vitas cornicinumque suant.  
Et bene! ni luxis vellent quoque sistere membris  
Judicii, historias, dexterioris opus.  
Quos subito Tacitos reddunt, quos Thucydidesque  
Emendicatae, laus aliena, schedae.  
Ceu comites Cadmo subitos de dente colubri  
Praegnans vel Phæbo Terra stupente tulit.  
Quos tripedem meritos cathedram ne nostra Minerva  
Sentiât, est Curae gloria magna Tuae.  
Si quos commendet generosa modestia morum,  
Ingenium, custos depositique fides;  
Rectores pubis, Musarum saria tuentes  
Sacra, patrocínio protegis usque Tuo.

Hos,